

V⁹
5692





CTK/190. 28

Vg
5692

GEORGII HENRICI GOETZII, L.
Past. & Superint. Annæmont.

NUM LUTHERUS
LIBRUM JOBI
CUM THERENTII SCRIPTIS
ET VIRGILII ÆNEIDE
CONTULERIT?

ECLOGA THEOLOGICA.

Accessit

Intimatio Concionum Circularium
in

EPISTOLAM JUDÆ

hòc anno habendarum,

& olim

In THRENOS JEREMIÆ
habitarum.

L I P S I Æ,
Literis IMMANUELIS TITH,
ANNO clo lccc.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SALE)



V I R O

Summè Reverendo, Amplissimo, atq; Excellentissimo,

D O M I N O

JOACHIMO WEIKKMANNNO,

SS. Theol. Doctori celeberrimo, Sereniss. Princip. Anhalt. Servest. Confiliario Ecclesiastico, Concionatori Aulico, per Dioecesin Servestanam Superintendenti, atque ad D. Bartholomæi Pastori undiquaque meritissimo, vigilantissimoque,

*Domino, in Christo Fratri, Fautori atque Amico
multis abhinc annis conjunctissimo,
estumatissimo,*

in Tesseram Amicitiaë huc usque sanctè & inviolatè
cultæ,

Observationes hæc Theologicas
inscribit,
&
cum votò omnigenæ felicitatis
transmittit.

A U T O R.





I. N. J!

§. I.



Cripturam diviniorem, à Spiritu S. quàm verba quàm res inspiratam, debitò cultu & amore excipiendam esse, constat inter omnes, ut justis inducti rationibus eos rejiciamus, atque, ut pœnas luant justissimas, dignos censeamus, qui in alia omnia eunt, ac sacra oracula protervè negligunt & contemnunt. Ecquem latet, quæso, pessimè agere Pontificios, dum

Scripturam S. Fabulis Æsopi adjungunt? Uberius hoc deductum est in pec. quâdam commentatione, haud ita pridem divulgatâ, ut actum agere videremur, si istud nunc prolixè repeteremus. Lutherum quidem istius criminis eos reum fecisse non negamus, sed mentiuntur homines, qui calumniis magis operam dare solent, quàm ut solidioribus pugnent rationibus. Esdra libros ultimos hanc compellationem reportasse ultrò fatemur, sed non injuriâ, nec dissentientibus ipsis Pontificiis. Ita enim Bellarminus, *Controversiarum* (quibus præsertim sibi purpuræ honorem & gloriam peperit, Janô Niciô Erythræô in *Pinacotheca P. I. pag. 87. judicante,) L. I. de Verbo Dei c. 20. pag. 18. b. infit: Quartus Esdra liber sine dubio non est canonicus, cum à nullo concilio referatur in canonem, & non inveniatur neque hebraicè, neque græcè, ac demum contineat cap. 6. quædam fabulosa de pisce Henoch & Leviathan, quos maria capere non*

A 2

pote-

O,
n-
ori

ico



poterant, quæ Rabbinarum Talmudistarum somnia sunt. Et Lib. 2. c. 1. p. 19. b. iterum sequentia effert: Hic (quartus scil.) liber non modò apocryphus est, & ab Ecclesia Catholicâ nunquam receptus, sed etiam multis in locis redolet fabulas judaicas, & in hoc ipso cap. 14. non aliter loquitur de quibusdam libris occultis, & perfectioribus, quam omnes Talmudistæ faciunt de sua Cabala. Rectè ergò nostram causam insigniter juvans subdit Michael Waltherus in *Cent. Miscell. Theol.* p. 289. *Fabule Judaicæ Æsopicis fabellis præstantiores non sunt. Ut malè Lutherum accusârit Pistorius, quod hoc iudicium de ipsis tulerit, easque è Bibliis evulserit.* Cæterùm merum figmentum est, quòd *Apocalypsin* illam, genuinum putà scriptum, *Johannis Evangelistæ* *) nomine insignitum, atque à spuriiis ἀποκαλύψεως libris **) meritò distinguendum, sub *fabularum Æsopicarum* schemate considerari posse dixerit. Vid. Joh. Möllerus in *Defens. Lutheri defensi* p. 272. Existimat equidem Bellarminus, se reperisse non quod pueri in fabâ, dum *Luthero* tribuit, quod *Apocalypsin* libro quarto *Esdrae* iudicaverit haud absimilem. Verba ejus *Cap. XIX. L. I. p. 17.* ita fluunt: *In præfatione antiquiore Novi Testamenti ait Lutherus, se Apocalypsin neque pro Prophetico, neque pro Apostolico libro recipere, sed similem iudicare libro quarto Esdrae.* Ast frustra hæc dici quilibet mecum fatebitur, qui præfationem illam, communi Bibliorum editioni præmissam, accuratè perlegerit. Subdubitare quidem coepit paululum de autore hujus scripti, nullibi tamen Prophetiam esse divinitus inspiratam præfractè negavit, imò ejus usum valdè commendavit singulis. Conf. Gerhardus in *Exegesi Script.* p. 306. & Kortholtus de *Canone Scripturae* p. 342. Sed hæc reticenda non sunt, quæ *Gilbertus Burnetus* in descriptione Itineris, quod ipse fuit per Helvetiam, Germaniam & Italiam, p. 12. retulit, se in Bibliothecâ Gratianopolitanâ vidisse *Apocalypsin* *Johannis* descriptam

*) Vid. Joh. Gerhardus in *Exegesi Script.* §. 293. p. 306. sqq. & M. Gustav. Schröder in *dissert. quâ Sanctam Apocalypsin autoritate canonicam & præcipue ad Autorem Johannem Evangelistam & Apostolum indubitato referendam esse, præside D. Joh. Fechtio ventil. Rostochii 1697. probavit, & Joh. Henr. Heideggerus in Enchiridio Biblico p. 1008. sqq.*

**) Recensens illos Suicerus *Theol. Eccles. P. I. p. 450. sqq.* & Celeb. D. Joh. Andr. Schmidius in *Pseudo-Novo Testamento, Cap. IV. p. 118. sqq.*

ptam cum Fabulis Æsop i stipatam, quò pactò suspicionem ipsi subor-
tam esse, quod uterque liber nullius olim fuisset prætii. Verba af-
ferre placet: Der gelehrte Herr Chorier zeigte mir zu Grenoble
ein Manuscriptum, welches sehr alt ist / bey fünff oder sechs hun-
dert Jahren / und enthält die Offenbarung St. Johannis gang
in Figuren vorgestellt / worauf des Æsopi Fabeln folgen / gleich-
falls erkläret / und mit Figuren ausgezieret. Woraus er denn
schlosse / daß die jenigen / welche diese zwey Wercke also vereini-
get hätten / allem Ansehen nach eines vor so glaubwürdig als das
andere gehalten hätten. Improbandum itaque arbitramur illorum
institutum, qui Fabulas Æsopi, sacrasque literas paria facere so-
mniant.

S. II. Sed in maledictis Pontificiorum, quæ in Lutheranos
evomere solent, multum est injuriæ, eorumquè ferè non repe-
ritur finis. Gravem enim dicam impingunt *Luthero*, ac si Librum
Jobi cum fabulis, scriptis scilicet Terentii ac Virgilii Æneide, com-
paraverit contuleritquè. *Lutherus*, scribit Gretserus, acerrimus Bel-
larmini propugnator, apud Kortholtum de *Canone Scripturæ* p. 47.
*Librum Job cum Fabulis Terentii & Virgilii Æneide contulit. Quo-
circà simpliciter pro fabula habuit. Quis enim est, qui Comœdias Teren-
tianas & Virgilianam Æneidem absolutè & sine ullâ exceptione inter
fabulas non deputet?* Et ante Gretserum Bellarminus *L. I. de V. D. c.
V. p. 4. b.* hæc commentatus est: *Martinus Lutherus in Convivalibus
Sermonibus tit. de Patriarchis & Prophetis affirmat, se non credere,
omnia ita, esse gesta, ut in Libro Job narrantur. Et rursus tit. de Libris V.
& N. T. ait, librum Jobi esse veluti fabula argumentum, ad proponen-
dum patientiæ exemplum.* Idem affirmat Joh. da Sylveira in *Opusc.
Var. p. 46.* *Lutherus inquit (historiam Job) esse argumentum totius
fabellæ. Impius hereticus non potuit intelligere tantam animi subli-
mitatem,* coll. Claud. Frassenio in *disquisit. Bibl. p. 543.* Si animum
horum virulentum spectemus, nihil magis efficere meditantur,
quàm ut contemptus Scripturæ notam inurant *Luthero*, ejusquè
studium reddant nobis infensissimum. Sed enim verò inclytus
ille Theander ab injuriis illatis meritò est vindicandus.

S. III. Primò autem, ut breviter *Bellarmino* satisfaciamus, te-
nendum est, Librum Sermonum Convivalium non ab ipso *Luthero*

729
esse visum atque relectum, sed ab aliis confectum, atque sub ipsius nomine, elapsō viginti annorum spatiō, cū vivere desiisset, editum, hinc de omnium dictorum veritate adhuc dubitari posse. Id quod à nostratibus, qui *Lutheri* defensionem in se susceperunt, uberiùs est deductum, ut actum ageremus, si plura de hoc librō adnotaremus. Confer. Dn. D. Ad. Rechenbergii *Sched. Histor. de B. D. Lutheri Colloquiis Mensalibus*, Lips. 1698. ac B. M. Joh. Theoph. Mölleri *dissert. auctoritatem Scripti D. Lutheri Colloq. Mensal. in germ. anglic. & latin. idiomate editi*, Rostoch. 1693. expendens, in quibus magna testimoniorum nubes conspicitur. His addantur B. D. Christ. Chemnitius in *Dissert. de Personā & libro Hiobi*, Jenæ 1665. Cap. VI. §. 10. Summè Rev. Excell. Dn. D. Sam. Bened. Carpzovius in *Exam. Novæ Prax. J. Masenii* p. 1099. sq. B. D. Aug. Pfeifferus in *Thes. Hermeneut.* p. 79. 80. 85. 607. B. M. Henricus Braschius in *Labyrintho Apostatarum* p. 282. sq. Th. Hackspanius *Miscell. Sacr. L. I. Cap. VI. §. V. p. 180.* graviter de illō pronunciat: *Non Germanus ille Lutheri fœtus est, qui sic inscribitur, parenti notus nunquam, nunquam recognitus. Quin imò plura continens, que cognitissima ac testatissima sententiæ ejus adversantur.* His tandem adjicere placet judicium Plur. Rev. Dn. M. Joh. Güntheri, qui adversus Pontificios, *Academistas* putà *Vratislavienses*, in scripto germ. die letzte *Dezlung*/disputans. p. 110. & 113. ingenuè & accuratè satis in rem nostram scripsit: *Hat sich Lutherus mit Neden beym Tisch übereilet / so hat er uns hingegen durch Gottes Gnade den Tisch des Herrn wieder eröffnet / daß wir uns bey demselben einfinden / und die himmlischen Gnaden-Gaben / so wie sie Christus selbst eingesezet hat / zu Trost der armen Seelen genießen können. Diesen hochtheuren Dienst / den Gott seinen Kindern durch Luther um erwiesen hat / lasset uns hochachten / und sonst andere unzehlbare Gaben / damit der werthe Mann ausgerüstet war / zu Hülffe nehmen. Hingegen aber aus denen Ubereilungen desselben das unendliche Verderben des menschlichen Geschlechts / und die tieffe und unergründliche Wurzel des Schlangen Saamens erkennen / doch dergestalt / daß wir solches nicht mit frechem und kaltsinnigem Gemütthe / zu Entschuldigung unserer Bosheit brauchen / sondern zur wahren Demuth und zur recht inniglichen Busse anwenden mögen.* Patienter

tienter ergò & æquò animò feramus injurias , quibus *Lutherum* afficere solent. Qualiter agunt *Papistæ cum Luthero*? Verschneiden seine Schrifften hinten und vorn / so lang / biß fast nichts gutes mehr dran bleibet: Wie ziehen sie seine Tischreden so übel an? *Utinam sanctis Patribus, & ipsi etiam SS. Scriptura parcerent* lpiè ingemiscit B. D. Reinh. Bakius *Comment. in Psalt. T. II. p. 70. b.*

§. IV. Secundò verba Lutheri subdolè & truncatè adduxit Bellarminus , & illa , ich halte sein Buch für eine rechte Historie / studiosè vel malitiosè omisit. Verba Megalandri afferre placet, ceu ex *Colloq. Mensal. edit. Jenens. fol. 308.* à B. Chemnitio *l. c.* adducta sunt : Hiob ist ein Exempel Gottes Güte und Barmherzigkeit / dern wie heilig er auch ist / so ist er doch in der Versuchung sehr gefallen / wird aber nicht verlassen / denn er wird aus Gottes Gnaden und Barmherzigkeit errettet und erlöset. Ich halte aber sein Buch für eine rechte Historiam / daß aber alles also solt geschehen und gehandelt seyn / glaube ich nicht / ich halte / daß etwa ein feiner frommer gelehrter Mann habe es in solche Ordnung bracht / und sey zur Zeit Salomonis geschrieben / denn zur selben Zeit haben viel weise und heilige Leute Lust und Liebe gehabt / Historien zu schreiben. Ex hoc ergò locò probari potest , *Lutherum* de veritate hujus historiae nequaquam dubitasse , *Bellarminum* verò quædam omisisse. Asseruit quidem, autorem hujus scripti non cognitum esse perspectumquè , ipsis non diffidentibus Pontificiis Sylveirâ *l. c.* & Nat. Alexandrò *Hist. Eccles. Sec. IV. P. III. p. 592. sqq.* imò dubitanter scripsit , non esse probabile , quòd hæc in tantâ afflictione , quantam Vir sanctissimus sustinuit , ordine istò vel sermone externò protulerit , sed ab aliò quòpiam in hunc ordinem redacta sint. Hæc itaque conjectura Lutheri nostri non respicit ipsam Historiam , sed saltim ordinem ejus ac modum tractationis , ut rectè laudatus Chemnitius *l. c.* Gerhardum *in Exeg. p. 144.* pressò pede sequens probatum ivit.

§. V. Tertiò denique concedimus, Lutherum quidem dixisse , *Librum Jobi esse velut fabulae argumentum* , ast eò ipso non asseruit , ea , quæ in istò leguntur librò , fabulosa esse , sed tantùm id insinuare voluit , melioris explicationis & intelligentiæ causâ , cum fabulâ vel comœdiâ posse comparari. Unò verbò : Lutherus dicit, com-

ius
di-
Id
nt,
orò
B.
ph.
m.
ous
D.
65.
vi-
rus
in
. I.
ille
in-
ac
cet
os,
Des
am
so
ern
die
get
ch
vie:
en/
in:
er:
nd:
alt/
zu
ren
Pa-
ter



82
comparari cum fabulæ argumentò propter personarum collo-
quentium distinctas vices & diversos actus ipsius historiæ, nec non
propter lætam catastrophem. Imò ipse Lutherus hujus Viri acta
cum historiâ Josephi & Rebeccæ contulit, ut adeò liceret colligere,
eum non simpliciter habuisse pro fabulâ. Distinguimus itaque,
B. Kortholtum p. 47. audientes, inter comparationem libri hujus
Canonici cum fabulâ, ratione *formalis & materialis* consideratam.
Priori modò, qui ipsam respicit tractationem, concedimus, aliquâ
ratione fabulæ videri librum istum esse consentaneum, quemad-
modum nonnulli nostratium quoque librum Jobi instar Dramatis
in Protasin, Epitasin & Catastrophem dispeSCI posse docent; Ast ne-
gamus & pernegamus, *posteriori modò*, quatenus materialis respec-
tûs habetur ratio, fabulæ nomine esse compellandum. Docuit
enim noster, & non potuit aliter docere, rem exactè perpendens,
librum hunc veram esse historiam in consolationem nostram scri-
ptam; Es ist uns zu Trost geschrieben / daß Gott seine grosse
Heiligen also läst straucheln / in præfat. Bibl. Germ. huic libro
præmissâ. Conf. Gerhardus l. c. p. 144. Waltherus in *Officinâ Bi-
blicâ* p. 977. Schmidius in *Commentarii ad hunc librum præfat.*
Heideggerus in *Enchirid. Bibl.* p. 374. Spanhemius in *Historiâ Jobi,*
Cap. I. p. 2. sqq. Sixtus Senensis *Biblioth. S. L. 8. Har. 10. p. 818. sq.*
Sylveira l. c. Frassenius l. c. Mercerus *præfat. Comment. in h. l. Fran-
ciscus Vavassor in præfat. Comment. in Job.* Addimus deinde & hoc,
quod & Bellarminus *L. I. c. 18. p. 9. a.* cum Joh. Filescæ *Select. L. I. c.*
14. p. 243. non diffiteretur, nonnunquam fabularum nomine veras
narrationes describi, quemadmodum Hieronymus, Doctor Eccle-
siæ Veteris præstantissimus, ejusmodi loca suggerit. Vid. Joh. Frid.
Hekelii *Dissert. de Fabulis, Rudolphopoli Ann. 1685.* & Buchnerus in
Lexico p. 871. Si ergò Hieronymo nemo vitio verterit, quòd hâc
voce usus sit, nec *Luthero*, cui eadem licentia concedenda est, ejus
rei ergò succenseamus, quicquid etiam Gretserus excipiat à Kort-
holtò l. c. refutatus.

§. VI. *Job. da Sylveira* assertum ex modò adductis haud diffi-
culter refelli potest. Nam negamus, Lutherum veritatem hujus
scripti impugnâsse, quamvis asseruerit, sub schemate poëtico quæ-
dam esse proposita, quâ in re nonnullos Pontificiorum habet sibi

ὄμο-

ὁμοψύχως, ut Kortholtus *l. c. p. 43.* monet. Deinde per calumni-
 am ipsi affingit, ac si non intellexerit ea, quæ in hōc librō leguntur.
 Satis enim disertè eleganterquē summam omnium dictorum propo-
 nit, in *præfat.* quæ in *Bibl. Germ.* legitur: Das Buch Hiob han-
 delt diese Frage: Ob auch den Frommen Unglück von GOTT
 wiederfahre? Sie stehet Hiob feste/ und hält/ daß GOTT auch die
 Frommen / ohne Ursach / allein zu seinem Lob peiniget. Multum
 laboris cum insumpsisse in translatione Bibliorum, inficias ire non
 possumus, hinc semet ipsum incredibili studiō, quō aggressus est
 operam, videtur superasse. Ich bin/ait apud Matthesium *Conc. 13.*
de vitâ Lutheri p. 154. a. neben dem Herrn Philippo und Aurogallo
 wohl vierzehen ganzer Tage über eine Seite oder Wort gefessen /
 biß sichs hat deutsch reden lassen. Implevit tamen omnes numeros
 boni Interpretis, id quod post alios erudite demonstravit M. Nic.
 Panecius in *pec. dissert. philol. quâ B. Lutherum optimum Interpre-*
tem exhibuit, Witteb. 1695. Librum Jobi crucem non semel ipsi fixisse,
 testatur Lutherus in Epistolâ ad *G. Spalatinum* datâ apud Secken-
 dorffium *de Lutheranismō p. 204.* & Raithium in *Vindic. Verf. Germ.*
Luth. p. 105. Sed divinâ gratiâ, quam ardentissimis votis expetiit,
 omnem omninō difficultatem superavit, vocavit autem librum
 hunc fabulam cō sensu, quō idem nomen piis historiis in Comœ-
 diæ formam redactis impositum est, ceu Autores suprâ memorati
 docuerunt, quibus D. Ægid. Hunnius apud Dannhauerum in *Me-*
moriâ Thaumasiandri Lutheri p. no. addatur.

§. VII. *Gretserum* quod attinet, qui odio implacabili Nostrum
 prosequitur, ac præcipuum dissertationis hujus argumentum est,
 sciendum est, nullibi Lutherum Librum Jobi cum Fabulis Terentii
 aut Virgilio Æneide comparasse, idquē neq; *explicitè*, verbis disertis,
 neque *implicitè*, vi consequentiæ benè spontequē fluentis affirmasse.
 Novit enim optimè Lutherus, quantō in pretiō sit habendus liber
 Jobi, quippe qui pia & salutaria complectitur dogmata, unō verbō,
Theologiam Evangelicam, ceu ex eruditō specimine, quod B. Abrah.
 Hinckelmannus, Theologus Hamburgensis, *An. 1687. locō dissert.*
inaugur. in Acad. Kilon. sub præsid. B. D. Christ. Kortholti dedit, at-
 que *Pontificiorum, Reformatorum & Socinianorum hypothesis* op-
 posuit, colligere datur, & quod neque Terentius neque Virgilius
 B isti



187
isti adjungi possint. Uterque enim fabulas sistit. Iste integras
Comœdias Græcas Latinas reddidit à Græcis mutuatus, suasquè fe-
cit, notante Th. Creniò *de Comparanda Eruditione* p. 153. Hic in
Æneide suâ permultas scripsit fabulas, quemadmodum tota illa Æ-
neæ in Italiam navigatio meris fabulis accenseri meretur, ceu cum
Bocharto tradit Ant. Borremansius in *Dial. de Poëtis & Prophetis* p. 7.
Imò ex Iliade & Odysseâ Homeri suam confecit Æneida, & fortitu-
dinem Achillis æquè ac prudentiam Ulyssis in suò Æneâ exhibuit, ju-
dicio L. Küsteri in *Historiâ Criticâ Homeri* p. 34. Cæterum laudem
meretur *illud Poëma Heroicum elegantissimum & incomparabile, tam-
etsi ultimam Autoris manum nondum expertum sit*, ut Joh. Albertus
Fabricius, in librò pereleganter scriptò, qui *Bibliotheca Latina*
vocatur, p. 26. loquitur. Scripta Terentii, Comici illius Cartha-
ginensis haud incelebris, Eruditorum Scholam maximi fecisse con-
stat. Ita enim Lutherus noster, elegantioris literaturæ amantissi-
mus, *Tom. VII. Opp. Altenb. p. 21.* scribit: Wenn nun die Kinder
Æsopum auf diese Weise gelernet / soll man ihnen Terentium
fürgeben / welchen sie auch auswendig lernen sollen / denn sie nun
gewachsen / und mehr Arbeit zu tragen vermögen / doch soll der
Schulmeister Fleiß haben / daß die Kinder nicht überladen wer-
den. Nach dem Terentio soll der Schulmeister denen Kindern
etliche Fabulas Plauti, die rein sind / fürgeben. Nec ineptè scri-
bit Joh. Lomeierus *Dissert. Genial. P. I. Dissert. VI.* quæ Terentios
enumerat, p. 260. *De excellentissimo Comico nihil addam, nomen
enim ejus vel pueris in triviis notum, lepores autem ejus, judicante
ita Josepho Scaligero, vix centesimus quisque eruditorum videt, in-
cujus una comœdia plus exacti judicii vidit oculatissimus Erasmus,
quam in Plautinis omnibus.* Sed ipsum *Erasmm*, portentum illud
Eruditorum, audire delectat: Sequens enim de ipsò *de Ratione
Studii T. I. Opp. p. 445.* tulit judicium: *Inter Latinos quis utilior lo-
quendi autor quam Terentius? Purus, tersus, & quotidiano ser-
moni proximus, tum ipso quoque argumenti genere jucundus adole-
scentiæ.* Nec mutavit mentem *T. III. Opp. p. 1206.* ita scribens: *Non
ex alio Scriptore melius discitur Romani sermonis puritas, nec est alius
lectu jucundior, aut puerorum ingeniis accommodatior.* His ad-
dantur, quæ p. 1207. protulit: *Quum inter oratorias partes preci-*
pua

puā sit argumentorum inventio, ad hanc quoque facultatem in omni
 causarum genere parandam Terentiana lectio conducit plurimum.
 Nec enim sine causā Criticorum suffragia artem huic auctori tribuere.
 Plus enim exacti iudicii est in una Comœdia Terentiana, absit Nemesi
 dicto, quam in Plaulinis omnibus. Hinc Eruditorum ingenia præclare
 admodum exercuit Terentius, ut in ejus Comœdiis edendis notis-
 què eruditissimis illustrandis honestè inter se decertaverint, quò
 de argumentò fusiùs egit Th. Crenius, Vir ingenio juxta & doctri-
 nâ Clarissimus, *Animadv. Philol. & Histor. P. 2. p. 7. seqq.* Nostro
 consilio, quamvis nobis non sumamus, ut illud valere debeat,
 haud inutiliter M. Johannis Weizii, Philologi eruditissimi & piissimi,
Commentarius, quò Terentii Comœdias illustravit, *Lipsiæ 1610.* impres-
 sus, adhiberi poterit. Is enim, præter Philologicas Notas, quæ ad
 Latinæ Linguæ elegantiam pertinent, adjecit quoque salutaria mo-
 nita & moralia è scriptis gentilium pariter atque Christianorum,
 Doctorum, *Chrysofomi, Matthæsi*, aliorumquè desumpta, quibus
 adolescentes admonentur, ut vitia in Comœdiis commemorata
 non imitari, sed fugere discerent. Quò pacto nulla nos adigit
 necessitas, ut ad Terentium quendam Christianum, Morhofio *L.I.c.*
VIII. p. 77. Polybist. vehementer quoque improbatum, confugiamus,
 atque Terentii Afri Comœdias proscribamus. Pulchrè scri-
 bit Clar. Dn. Dieffenbachius, in eruditò libellò, von den Pflichten
 Christlicher Schul- Lehrer / p. 365. Nach meiner Meynung ist
 besser gethan / man tractire den Terentium Christianè oder au-
 geistliche und obgezeigte Art / (p. 363.) als daß man einem Christli-
 chen Buch einen heydnischen Titul giebt / oder doch solchen / der zum
 wenigsten zu Ehren eines Heyden gemacht. Quod *Virgilium* attinet,
Poëtarum illum *Platonem*, ut *Severus*, virtutem ipsius ac sapientiam
 admiratus, apud *Lampridium* eum salutavit, neminem latet, eum
 solum poëticè loqui scivisse, uti cum Scaligero Jac. Pontanus in *Phi-*
localiâ p. 353. affirmat, hinc ejus laudibus, quas meruit, nihil de-
 trahendum esse judicamus. Vid. Th. Pope Blount in *Censurâ cele-*
briorum Authorum p. 51. sq. Fabricius *l. c. p. 25. sqq.* Crenius *Animadv.*
Phil. & Hist. P. IV. p. 1. sqq. & Borrichius *de Poëtis* p. 46. sq. No-
 tum est Job. Lud. de la Cerda, qui subtilissimus Virgilii Commen-
 tator vulgò audit, iudicium, quod de Virgilio amori ejus plus

gras
 è fe-
 c in
 E-
 cum
 p. 7.
 itur
 ju-
 lem
 am-
 tus
 a-
 ha-
 on-
 issi-
 der
 im
 un-
 der
 ers
 rn
 ri-
 ios
 a-
 ate
 s,
 ad
 lo-
 v-
 e-
 on
 us
 l-
 i-
 a



499
iusto indulgens dedit, his constans verbis: *Salve divinissime Maro, Phœbi soboles, decus Musarum, orbis gloria, assertor Latii, ingeniorum altor, natura idea, cum Poëtam alium præter te legi video, laudari, probari; mentem statim amoveo, totus oscito, totus torpeo; si tu legeris, laudaris, probaris, mentem illicò adhibeo, excitor, succeditquè, quicquid instituo.* Verum nullus eruditæ pietatis Virorum eò progreditur dementiæ, ut sibi blandiatur, hoc quicquid est Poëmatis monumentis sacris, quæ *Jobum* nobis sistunt, à Lutherò fuisse adjectum. Fingunt quidam Eruditorum, Virgilium Eclogâ quartâ de Christò pulchrè cecinisse; sed somnium est suave, quò sibi illudere solent. Vid. B. Frid. Ben. Carpzovius in elegantissimâ dissertatione *de Publii Virgilii Maronis Eclogâ quartâ*, sub præsidio B. D. Frid. Rappolti, quem *Poëtarum Gloriam* optimò jure nominavit, *Lips. 1669. ventil.* B. Joach. Fellerus in *Floribus Philosophicis p. 45. seqq.* Servatius Gallæus *de Sibyllis pag. 373. sqq.* Th. Crenius *de Compar. Erudit. p. 377. sq.* Si quis vellet laudare illa Poëtæ, ut pietatem ejus inde adstrueret:

Discite justitiam moniti, & non temnere Divos,
in ejus aurem cum *Borrichio l. c. p. 48.* sequentia statim infusurranda esse suaderemus:

Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.
Judicet ergò de Virgilii pietate, sed hâc in pietate multi hodiè Virgilium ut Magistrum sequuntur, vel potiùs superant.

§. VIII. Breviter itaque ostendimus, Luthero nequaquam venisse in mentem, ut librum *Jobi* cum scriptis *Terentii* vel *Virgilii* comparaverit, hòc enim pactò ignominia affecisset librum hunc sacrum accuratâ meditatione perquàm dignum & singulis commendandum. Sed hoc sibi notent Pontificii, se ad imitationem *Æneidos* Virgilianæ D. Mariæ acta describere, dum miras excogitant fabulas, atque illis eam commendare student, cujus rei ergò *Gisbert. Voëtius P. III. Dissert. select. p. 1014.* eos taxavit. Num verò *Joachimus Kühnius*, Philologus præclari nominis & Græcarum literarum insigniter peritus, Pontificiis dicam scripserit, ajens: Virgilium sine juris Pontificalis scientiâ intelligi non posse, ipsi inter se disquirant. Verba ejus *Quest. Philol. dissert. 2. Argent. 1690. p. 5.* sic se habent: *Antiquitas inter Latinos Poëtas Virgilium quàm*
maxi

maximè commendat à proprietate verborum, imprimis sacrorum, t. 2. m
accuratè servatâ, & ubique insertâ versibus, ut sine juris Pontificalis
notitiâ satis intelligi nequeat.

§. IX. Transeat verò *Gretserus*, cujus iniquissimum animum
satis superquè cognovimus. Nunc, coronidis locò, illorum pie-
tas est sub examen vocanda, qui nonnulla è scripturâ sacrâ ex
Petroniô illustrari posse contendunt. Ita enim *Melchior Golda-*
stus, Philologorum doctissimus, apud *Dilherrum Dissert. Acad. T. I.*
p. 248. scribit: *Quibus verbis qui volet planum & perspicuum ha-*
bere interpretem, ei ego unicum hunc Petronium dederò. Nec
omninò vanum est magni cujusdam Theologi dictum, caput primum ad
Romanos sine Petronii Satyrâ intelligi non posse. Addo etiam Cap.
XIII. in quò à commemoratis vitiis debortatur. Cum quò consen-
tit *Don Josephus Antonius Gonsalvus de Salas* in *prelud. ad Petron.*
p. 16. edit. Francof. 1629. *Fulcitur haud leviter hæc veritas divina illa*
Divi Pauli Epistola ad Romanos, ubi, compar quum ille fuerit etate
Neroni & Petronio, pariter adeò eademmet vitia exagitat, ac recen-
set, ut Capita 1. & 13. ejusdem epistolæ, ex sententiâ quorundam eru-
ditorum Theologorum, ferè sine Petronii Satyra non possent intelligi.
Nec abnuat *Joh. Seldenus, præfat. Tr. de Diis Syris edit. Lips. 1668.* in-
quiens: *Nullus reperitur Commentarius, qui comma 27. capituli pri-*
mi Epistolæ ad Romanos equè explicet, atque Petronii Satyricon?
Quod ipsissimos mores ipsissimi ævi, ipsissima gentis, cui Apostolus ex-
probrat, aperit. Quibus *Casp. Barthium* jungimus, *Advers. L. XI. c.*
XX. p. 548. hõc modò pronunciantem: *Petronius Arbiter spurius &*
obscænus, sed ad pios etiam castosquè illustrandos utilis auctor. Lo-
quuntur ergò Viri modò allegati de *Neronis* assumpto, qui elegan-
tiæ fuit arbiter, & cujus liber elegantibus quidem, sed obscænis
verbis scriptus est, omniumquè nunc manibus teritur, ut eum *Sam.*
Basnagius in *Exercit. Hist. Critic. p. 405.* describit, atque à reliquis hõc
nomine insignitis accuratè distinguendum esse monet. Quamvis
autem *Lectionem* ejus penitus abjiciendam esse negemus, *Casp.*
Barthio, qui *Advers. L. XLIX. c. XI. p. 2300. seqq.* operosè hoc ar-
gumentum pertractavit, aliquâ ex parte assentientes, neque *Do-*
ctorum Virorum labores, quos in exornandò *Petroniô* apud *Cre-*
nium Animadvers. Philol. & Histor. P. V. p. 26. seqq. insumpserunt,



improbemus, eò tamen adduci non possumus, ut credamus, *Cap. I. Epistola Paulina ad Romanos* scriptæ sine hujus lectione non esse intelligendum. Arridet enim nobis primò sententia Theologi pietatis eruditionisque laude florentissimi, Frid. Rappolti, quæ *T. I. Opp. p. 837.* legitur, ita sonans: *[Nescio an hoc satis ad palatum illis, qui plus estimant lucernam sacram, quam ut à profanis & spurcis illis scriptis illi lux affulgeat. In talibus enim, in quibus scriptura ipsa verecundatur, pallio potius opus, quam lumine. Nobis hic istud probum, quod magnus ille Sueviæ triumvir Renchlinus de Cabale mysteriis:*

Sile, cela, occulta, tege, tace, mussa.

Convenit ergò Christianis quàm maximè cum *Jobo C. XXXI, 1.* fœdus cum oculis pangere, cum *Nazianzeno* aures *σωφροσύνας*, osculis lascivis os immune & linguam virgineam servare; idque tantò magis, quod civitates illæ *αἰώνια δαίμωνια* facta vel proposita sint exemplo. Videntur enim hòc ipso literis sacris multum detrudere, ac si tantis tenebris essent involutæ, ut ab ipso *Petronio* lucem mutuari ac fumere debeant. Admittimus quidem usum, scriptorum Ethnicorum in illustrandâ *Scripturâ Sacrà*, ceu accurate & operosè eum deduxit *Joh. Conradus Dietericus* in *Antiquitatibus Biblicis Veteris Testamenti*, exquisitâ diligentia scriptis, laudemquè nostram superantibus, sed in tantum admittendus est, si prius evictum fuerit, ritus illos easquè loquendi formulas, quibus *Scripturam Sacram* aliquis illustrare annitur, *Scriptoribus sacris & gentibus*, ad quos scriptura dirigebatur, fuisse cognita & perspecta, aliàs *Scripturæ vis* infertur, ceu rectè monuit *Celeberr. Dn. Schmidius* in *Animadvers. ad Liberii de S. Amore* (sub cujus nomine *Joh. Clericus* videtur latere,) *Epistolas Theologicas Cap. XI. Helmstad. 1699.* Quod si ergò concederemus, *Paulum* tunc temporis in vitia gentilium, animadvertentem omnia ipsorum peccata probè scivisse, atque ad detestationem Romanis conversis proposuisse, non tamen inde sequitur, ea tantùm ex *Petronii Satyrico* posse illustrari. Cur non ex aliis quoque? Vid. *Hugo Grotius* in *Cap. I. ad Rom.* Secundo cum *B. Calovio* ex ipsius *Bibliis Illustratis N. T. P. II. p. 36. b.* regerimus, quòd non solum illa tempora, (quæ *Paulus* attigit) vel *Romani tantum respici-*
antur,

antur, sed doceat (in genere,) quamam pœna & vitia sequi soleant neglectum τ& γνωστ& τ& θε&, & detentionem veritatis in justitia. Ergo quævis vitia generatim insinuat, quæ nec ipse Petronius commemoravit. Et quæ causa est, ut in explicandô hœc commate tantum ad *Petronium* recurram, ac tam disertis verbis flagitiosissimam Veterum vitam exponam? Sufficit Commentatori Biblico in genere notasse, hœc locô impurissima facta priscorum describi, quamvis non enumerationem peccatorum omnium instituat. Si verò Concionator tam accuratè vellet recensere immunditiem illam Ethnicorum, fanè auditoribus piis & castis offendiculo foret, vel suspicionem de seipsô præberet, quòd hisce nefandis rebus delectaretur. Quamobrem videtur assertum illud, licèt magnos quosdam Theologos habeat fautores, utinam illos quoq; nominassent Autores prædicti! nimis durum esse, & divinis literis valdè injuriosum. Commendatur sapientia Ethnica hominum, & divina dicta negliguntur. Appositè scribit Hieronymus *Dialog. I. adversus Pelagianos T. II. Opp. p. 179.* *Hæc argumentatio tortuosa est, Ecclesiasticam simplicitatem inter Philosophorum spineta concludens. Quid Aristoteli & Paulo? (addimus: Quid Paulo & Petronio?) Quid Platoni & Petro?* Quod si cui-dam essent hæc commata è sacris explicanda, deberet quidem peccata illa describere, sed additâ cautione, *cum adjunctâ statim exegefi ad horrorem excitandum, cum representatione vindictæ divine in hujusmodi flagitiis armata, cum hortatione ad preces pro casto spiritu,* piè monente Dannhauero *T. I. Theol. Conscient. p. 445. & 244.* Si nobis textus hic sacer coram plebe exponendus esset, ne unquam inspiceremus *Petronium*, quamvis centum Seldeni, & bis centum Gonsalii, ter centum Barthii & Goldasti lectionem ejus afflictim impenseque commendarent. Quidni è Scripturis ipsis hic locus posset illustrari? Non enim tantâ paupertate laborat sacer codex, ut verbis castis & pudicis, quæ Spiritus S. castissimus lecturis subministrat, facinora detestanda gentilium nequeant describi. Abundant ergò suô ingenio, nos meliora edocti, Scripturam S. habemus in deliciis, Petronique lectionem cum Paulo jungendam esse constanter negamus. Quando in Poëtarum lectione versamur, tunc audiendi sunt Poëtæ & reliqui Scri-

Cap. esse logi quæ pa- anis eri- obis de- fa- ulis ma- sint ra- niô m- cu- nti- is, est, las, ori- co- nuit re- beo- us, nia ma- um ac? o ex non nci- ur,



Scriptores, aut sacra meditaturis abesse debent profani vel parcius
confuli, ne Scripturæ contemptus inde emergat. Tandem &
illud notetur monitum, quod Olaus Borrichius *Dissert. I. de Poë-
tis p. 43.* in lectione *Plauti* observatu judicavit haud indignum,
atque ad aliorum quoque Autorum pertractationem applicetur,
ritè: *Audiant illud hodiè superstitiosi quidam Plauti miratores,
non semper, non ubique inculcandos esse ejus archaismos, neque
jocos ejusdem in rebus seriis (sacris) frequentandos; imò ne verba
quidem illa, que animi gratiâ, ut risum captaret, procudit quando-
que ipse, sine granò admittenda esse.*

§. X. Improbavimus nunc eorum sententiam, quâ asseri-
tur, *Cap. 1. Epist. ad Romanos* ex *Petronio* illustrari & absque illo
neque intelligi posse. Sed quid de *Politiano* est judicandum,
qui *Psalms Davidicos Pindari* Poëmatibus postponendos esse do-
cuit? Ita enim *Victorinus Strigelius* in *Hypomnem. in Ps. 98. fol.*
*442. ap. Jac. Thomesium in Dissert. LI. p. 588. coll. Saldeno de Li-
bris p. 434. sq.* inquit: *Non difficile intellectu est, quam pulchra
lumina eloquentiæ habeant (Psalms,) quamque prophanus sit sermo
Politiani, qui interrogatus, quid de Psalmis Davidicis judicaret?
respondit, esse quidem Poëmata plena sapientiæ, sed à Pindaro res
easdem dulcius narrari, & splendidius illustrari.* Aut si vera hæc
sunt, cum *Vir* perspectæ fidei narraverit, nemo hoc iudicium ad-
mittet, qui meliora nos à *Davide* doceri secum perpenderit. Agno-
scimus quidem cum doctis & antiquis Poëmatibus *Pindaricis* gra-
vitatem quandam inesse, ac virtutem ferè inimitabilem, præstan-
tiam tamen & virtutem *Psalmoreum Davidicorum* à *Spiritu S.* sug-
gestorum nequaquam attingunt.

§. XI. Finis huic *Commentatiunculæ* imponendus est, si
adhuc pauca de quorundam *Abusibus Scripturæ* dicta fuerint. No-
tum est, oracula *Dei* & verba *Sanctorum* dextrè esse interpretanda,
ita quidem, ut verum eorundem sensum investigemus semper ac
respiciamus, nec ad alia, licet omnia sponte fluant, trahamus.
Aut in *Pontificiorum* maximè *Ecclesiâ* haud rarò enormiter pec-
catur, quando vaticinia *Veteris Testamenti* & effata *Christi* ac re-
liquorum *Doctorum* modò ad *Pontificem*, modò ad *Mariam*, nescio
quâ pietatis ratione, accommdantur. Specimen harum exposi-
tionum

tionum dedit W. Nigrinus *de Papistico Scripturae Sacrae Contemptu* p. 614. sqq. Inspiciantur *Biblia Mariae*, Coloniae 1625. impressa, in quibus omnia ferè, quæ in sacris continentur, Mariæ adaptantur, notante G. Voëtio *P. III. Disput. Select. p. 1017.* vel conferatur modò *Psalterium Marianum*, quod vulgò *Bonaventurae* adscribi solet, & Mariam invocandam esse docet apud Chemnitium in *Examine Concilii Tridentini* p. 595. sq. collatis eis, quæ in *Miscellaneis Historico-Criticis Witteb. 1688.* propos. *Cap. III.* à nobis annotata sunt. Ex his enim liquidò satis constabit, literis sacris Pontificios deplorandum ac miserandum in modum abuti. Sed illustre-
 mus ulterius ejusmodi profanationem exemplis quibusdam. Piè se præparavit ad mortem Simeon justus, cum recens natum Jesulum in templo amplexus esset, inqve ulnas excepisset, inquiens : *Nunc dissolvis servum tuum &c. Luc. II. 29. 30. sqq.* Sed blasphema imitatio erat illius senio confecti Magistri Equitum Melitensium, *Gregorium XIII.* Pontificem intuentis & exclamantis : *Domine, dimitte jam servum tuum in pace, quoniam oculi mei viderunt salutare suam*, id quod ex Cicarell. de *Vitâ Gregorii* p. 452. refert Dn. D. Sam. Bened. Carpzovius in *Grünensden Sebeinen* p. 942. Sed nemini mirum esse debet, quòd hic nimio gaudiò affectus fuerit, cum Papam Romanum conspiceret ac deperiret. Verùm magis mirari nos oportet, quando in *Relat. Nov. An. 1698.* p. 72. sequentia narrabantur, quæ linguâ Germanicâ quoque apponere visum fuit : *Als die Spanier wieder in Luxenburg eingezogen / hat ein Bauers-Mann / so 110. Jahr alt / gefragt / was dieses vor Leute wären? Und als man ihm geantwortet / es wären Spanier / hat er Gott gelobet / und gesagt: Er wolte nun gerne sterben; Ist auch in wenig Stunden drauf mit Tode abgangen.* *Christologiae Jesaianæ*, quæ *Cap. LXIII, 1. 6.* Rubicundum & Candidum Victorem ab Edom sine Sociò Sociâque Torcular calcantem eleganter describit, vis infertur haud exigua, quando Pontificii Christo Mariam adjungunt, ejusque ope redemptionis opus illum perfecisse asserunt, contrariante textu sacro, ut rectè notavit M. Zach. Grapius in *Dissert. ad h. l. I. p. 33. & II. p. 39. Rostoch. 1697.* Ast impietatem suam adhuc magis prodidit *Cardinalis Baronius*, propheticum illud, rogante quòdam Antistite, cui *Collectiones Historico-Ecclesiasticas*, antequam ederentur, ostenderat, quotnam Amanuensium operâ uteretur, usurpans, ac semetipsum commendans: *Tortular calcavi solus.* Rectè ergò subdit Guil. *Cave in pæfat. Histor. Liter.*

C

Liter.



Liter. P. II. p. 3. hoc commemorans: *An ea, quae in Christum par erat, reverentiam viderunt alii.* Nobis, pietatem abesse, videtur. Commendatur à Deo David, Rex ac Propheta inclytus, quod sit *Vir secundum cor suum, 1. Sam. XIII. 14.* Malè ergò hæc verba ad semetipsum applicat Papa Romanus hodie Imperans de Cardinalitiæ dignitatis Viro, Sacripantio, pronuncians: Ich habe einen Mann gefunden nach meinem Herzen. Nec reticenda sunt ea, quæ iterum in *Relat. Nov. A. 1698. p. 73.* consignata hæc spectant: Der Cardinal von Fürstenberg hat in seiner Abtey von St. Germain des Prez / wegen des Friedens zwischen dem Kayser / Frankreich und dem Römischen Reich / ein köstliches Feuerwerck anstecken lassen / dessen Sinnbilder und andere Erfindungen durchgehends auf die Ausbreitung der Römisch: Catholischen Religion / sonderlich in der Stadt Strassburg / abzielen / wie man denn unter andern diese Stadt / und über derselbe eine Sonne præsentiret / auch darzu die Worte aus dem 36 Psalm gezogen hat: In lumine ejus videbimus lucem. **In seinem Lichte werden wir das Licht sehen.** Damit anzudeuten / daß der König begierig sey / alle seine Unterthanen zu seiner Religion zu bringen. Nec haud ita pridem in Galliâ Numisma excusum est, cujus una facies sistit Jacobi, Regis Angliæ, Filium, altera verò verba Christi ex Joh. X. 14. *Cognoscunt mei me.* **Die Meinigen kennen mich.** Tandem & abusum verborum Messiae *Es. LXIII, 1.* notare placet. Ea enim Ecclesiastes Rotterodamensis quidam, qui artem Medicam cum officio Ecclesiastico combinari posse credebat, fronti domus suæ literis aureis inscribi curavit, innuens, se & medicum animarum & corporum esse, ast noctu à nonneminè ista rectissime debebantur, cum injustum ac nefas duceret, verba hæc sacra, quibus Salvatoris optimi describuntur officia, homini arrogari & tribui, cujus rei testem laudamus B. Pfeifferum in *Prefat. Theol. Medic. Catech. pag. 26.* Piè ergò monemus, ejusmodi Scripturæ diviniore abusus nullatenus esse probandum, cum illa ad doctrinam & consolationem, omnemque salutarem usum in fide & vitâ perquam necessarium, non ad adulationem, ostentationem vel detorsionem sit tradita, Deum in-

simul precantes, ut verbum Christi opulenter in nobis habitare jubeat!



...inquit...
...in Ordine Circulari...
...prudenter omni de clari...

VIRIS

Plurimum Reverendis, Clarissimis

Doctissimisque,

DOMINIS

PASTORIBUS

AC

DIACONIS,

in,

CIRCULO BUCHOLZENSIS,

Ephoriæ Annæmontanæ

subjacentibus,

Fratribus in Christo dilectissimis,

S. P. D.

GEORGIUS HENRICUS GOETZIUS, D.

Superintendens.

...ad Apostolicam dignitatem pervenit...
...Judæos educacgentes...
...dus, & voce ac scripto...
...est...
...Thaddeus...
...Dei judicium...
...dicitur...
...indignus...
...comple...
...suis...
...me...
...C...
...l...
...em...
...no...
...ni...
...al...
...ma...
...zu...
...Da...
...ebi...
...ara...
...ans...
...ges...
...on...
...fer...
...von...
...Papa...
...cor...
...nem...
...rat...





Tempus instat consuetum, quod ad Conciones Sacras in Ordine Circulari, Autoritate Superiorum prudenter olim & olim constitutas iterum habendas allicit Vos blandèque invitat. Hos ergò labores, quos humeris vestris in præsens imponi haud ægrè patiamini, faustos ac felices esse jubeat Pastor & Episcopus Animarum nostrarum, Vosquè necessariis Spiritûs S. donis instruat, ut piè, scienter, utiliter, breviter, in Ejus honorem & auditorum emolumentum, voluntatem cœlestem annuncietis, Regnumquè Dei augeatis inde confervetisque. Eum autem in finem à Vobis in Ecclesiâ Metropolitanâ Conciones haberi solent, non ut interim viverem in otio, & cuticulam curarem meam, sed ut Vestra acueretur industria, & quâ ratione Ecclesiis Vestris consuleretur, mihi innotesceret. Adimplete itaq; ac superate Vota omnium, Vestroquè officio facite satis! Aderit (credite) ipse Deus vobis meditaturis ac comes in viâ erit certissimus. Ne verò Vos lateat, ex quõnam Scripturæ Librò argumenta sermonum petenda sint, quòvè ordine omnia sint proponenda, agite paucis cognoscite, quæ Vos ignorare nolo.

Scilicet *D. Judæ Epistolam Catholicam*, quæ brevis pariter & longa est, brevis in verbis, longa in sententiis, Hieronymi judiciò, & *Certaminis Fidei adversus Impietatem* Descriptionem exhibet, Vestris meditationibus consecrare animus est. Est Epistola à *Φερουμένω ὑπὸ τῆ πνεύματος τῆ ἀγίας* conscripta, & quæ argumentum prorsus eximium, crebrò diligenterquè inculcandum & repetendum, complectitur, hæc scilicet ætate, quâ omnia vitiis, impietate, orthodoxiæ contemptu, superbiâ & luxurie repleta sunt, justissimaquè Dei judicia nostris imminent cervicibus. Autor illius est *Judas*, non Episcopus quidem Hierosolymitanus, ceu magno illi *Nugoni*, *Hugoni Grotio*, visum est, sed servus & Apostolus Christi, cognomento *Thaddæus* seu *Lebbæus*, à *Judâ Ischariote*, qui ex Theologò factus est *Latro*, probè discernendus, *Frater Jacobi Minoris*, *der fromme Judas*, ceu in *Glossis*, quæ *Luthero* vulgò adscribuntur, ad *Matth. X.3.* vocatur. Ad Apostolatûs dignitatem pervenit unâ cum reliquis, & voce ac scriptò diversas nationes, *Judæos* æquè ac gentes,

eru-

erudiit. Exaravit hic unicam tantum Epistolam, mole exiguam, ad sanctificatos quosvis, & verè fideles, quos diligenter hortatus est, ut doctrinæ puritatem adversus hæreticos, *Simonianos, Nicolaitas & Gnosticos*, qui tunc temporis grassabantur, integrè servarent, & vitiis sceleribusquè contaminari haud permetterent, hinc Catholica est Epistola, quæ ad omnes spectat Christianæ fidei alumnos. Et cum *longum iter sit per præcepta, breve verò per exempla*, uti prudenter ille scripsit, officio Apostolico nihil indignum fecit Noster, quòd *Exempla veterum, Angelorum æquè ac hominum, à Deo graviter punitorum, proposuerit, ad deterrendos eos, qui criminibus erant obnoxii, inquè pericula se conjecerant. Prophetæ posteriores priorum scripta sæpè legerunt, inquè sua rursus retulerunt.* | Id quod Nostro accidisse persuasum est, qui ad priores non solùm in Epistolâ suâ provocavit Apostolos, sed etiam in specie posteriorem Petri Epistolam, eòdem cum illò actus Spiritu, *ὡς ἐν ἐπιτομῇ* exhibere videtur. Quâ ratione sequens Victor. Strigelio in *Hypomnem. ad Pauli Epist. p. 324.* enatum est effatum: *Hæc Epistola est Epitome posterioris Epistolæ Petri. Docet enim, non abutendum esse gratiâ Dei, aut libertate Christianâ, & colligit exempla iræ Dei, ut mentes hæc exemplorum consideratio ad pietatis amorem flectat.* Auctoritas ejus in dubium vocari cœpit non solùm antiquioribus seculis, sed etiam superiori tempore, quod Lutherus, Chemnitius & Centuriatores Magdeb. tetigerunt. Rationes non adeò magni momenti sunt, & à commentatoribus infrà nominandis nec non Joh. Leusdeniò in *Philologò Hebræo-Græco p. 209.* Joh. Henr. Heideggerò in *Enchiridiò Biblicò p. 1002.* & Claud. Frasseniò in *Disquisit. Bibl. p. 751.* planè discussæ. Condonandus est error Viris aliàs de Ecclesiâ Christi præclarè meritis, omnisquè dubitatio exuenda, qui non ignoramus, tum ab Athanasio, tum ab Hieronymo Epistolam hanc ut Canonicam fuisse approbatam & receptam, eandemquè pia & salubria præbere monita. Et sanè monita sunt diligenti meditatione oppidò digna. Vobis itaque, *Viri præstantissimi*, ut hæc Epistola sit commendatissima, eâ, quâ possum, animi contentione peto atq; obtestor. Inaudivi quidem, sed nimis serò, ante octo annos, ex Venerandi Dni Antecessoris mei, cui prospera Deus! laudabili consilio, eandem pariter fuisse prælectam ac publicè expositam; Verùm quid obstat, quò minùs, temporibus



maxime hisce exulceratis & ruinam minitantibus, iterum Judas prodeat, nostrosque denunciatione quorumvis malorum, bellorum, famis, morborum, aeternorumque cruciatuum, graviter terreat? Diligenter inspiciendus est Textus Græcus, ac deinde commentatiunculâ quâdam illustrandus. Adducenda sunt moralia, ut vocari solent, sed non negligenda Polemica, ubi vis verò Realia Biblica ut audiantur, necesse est. Vultis *Commentatores* nôsse? Dabo eosdem, quos majoris illustrationis causâ, ne soli sapere videamini, audire poteritis. Præter *D. Sam. Pomarium*, Theologum Lübeccensem, & *D. Job. Philippum Tilemannum aliàs Schenck*, Theol. Marpurg. Reform. quorum tamen Lucubrationes mihi hæc scribenti non fuere ad manus, è Nostratibus M. Christophorus Samuel Martini, hodiè Theolog. Doct. ac Superintendens Ecclesiarum Liebenwerdensium, *amplissimum in hanc Epistolam commentarium, quantum hætenus literatus orbis nunquam vidit. quiquè ideò à Summò Theologò, Joh. Benedictò Carpzoviò, ab eximiò labore, judiciò & industriâ illustri præfamine commendatus est*, judicante Celeberr. D. Johanne Fechtio, in *Dissert. mox citandâ*, Commentarium, inquam, Exegetico-Porismaticum scripsit, Concionatoribus perquam proficuum & diligenter evolvendum. Quem excepit *B. D. Job. Georg. Dorschei* Commentarius in Epistolam S. Judæ posthumus, nunc demum è MSS. editus curâ *M. Brendani Henrici Gebhardi*, SS. Linguar. in Acad. Gryphico-Pomeranâ Professoris, qui & brevem quandam in hanc Epistolam adjecit commentationem. Dubiò procul hic idem est Commentarius à supra laudatò *Fechtio* toties, quoties modò ejus fecit mentionem, commendatus, & cujus desiderio impensè hætenus flagravit. Ipse *Fechtius* molitus est editionem hujus Commentarii; *Ego brevi publicæ exponam luci magni quondam Theologi, D. Job. Georgii Dorschei, qui & hujus ipsius Academia aliquando singulare ornamentum fuit, Fragmentum expositionis in Epistolam Judæ, ut specimen tantum aliquod representem perfecti in Scripturam Commentarii, qualis itaque hæc expositio facta fuisset, si finem aliquando suum attigisset*, uti scripsit in *Prefat. Commentarii B. Schomeri in Epist. ad Rom. & Corinth. scripti p. 5. Rostoch. 1699.* Sed omnium desiderium prævenit *Gebhardus*, forsitan nec improbante *Fechtio*. Incredibili autem amore prosequitur meritissimus Vir *Fechtius* Theologiam Biblicam, serioquè vovet *l. c. p. 8. ut ad curatiorem S. Bibliorum lectionem Ministerii Sacri & Candida-*

didatos & Ministros adducat, Biblicosque faciat Theologos! Hinc scripta exegetica vel ipse dabit, vel ab aliis confecta edi curabit. Elegans *Commentariolus* est, quem in hanc Epistolam sub formâ Disputationis *Rostochii 1696.* prodire jussit. Leguntur in illo non solum exegetica, sed etiam in porismatibus didactico-polemica, in quibus notissimi illius *Petersenii* novantiqua de Chiliasmô commenta solide & modestè refutare aggressus est. E Reformatis laudandus est *Casspar Sibelius*, Symmysta Daventriensis, qui *Conciones sacras*, latinô idiomate exaratas, in Epistolam Judæ scripsit, quæ seorsim *Amstel. 1637.* lucem publicam viderunt, cautè tamen illæ legendæ sunt, præcipuè quando errores suos immiscere solet. Huic jungi potest *Phil. Parei, Dav. Filii*, *Analysis Logica* hujus Epistolæ & succinctus *Commentarius*, qui *Genevæ 1641.* unâ cum reliquis Patris *Commentariolis* prodit. Inter Pontificios præter *Cornelium à Lapide & Guil. Estium* eminent *Joh. Lorinus*, cujus *Annotationes* in hanc Epistolam *Lugd. 1619.* editæ sunt. *Observationes* maximam in partem *philologicas* in hanc Epistolam scripsit *Frid. Rappoltus*, Theologus Lipsiensium edecumatus, quæ *T. I. Opp. pag. 807. seqq.* leguntur; E Reformatis *Joh. Verryn*, *Lugd. 1677.* idem præstitit. Multò plures adhuc nominare possem, sed alienis oculis videre nolo. Prætereo insimul silentiô *Dissertationes* quasdam de *Prophetiâ Enochii à Dorscheo*, de *Certamine Michaëlis cum Diabolo à M. Zach. Henselio*, *Witteberga*, & *M. Joach. Fechten* *Jenæ*, & e Reformat. à *L. Joh. Godofr. Bachmanno*, *Francof. 1695.* conscriptas. Ubertim enim ac sufficienter ex *Commentariis* modò laudatis & majoris illustrationis causâ consulendis, Vestroque usui destinatis, hæc omnia peti poterunt. *Partes* hujus Epistolæ à *B. Schmidio in Bibliis sacris p. 288.* septem constituuntur, ita ut tradat 1.) *Inscriptionem v. 1. 2.)* *Necessitatem scribendi ob ingressos falsos Doctores. v. 3. 3.)* *gravem his interitum annunciet à v. 5. 4.)* *Eorum mores describat v. 5. - 16. 5.)* *præmonitionis Apostolicæ mentionem faciat v. 17. 18. 6.)* *admonitionem suam addat v. 20. 7.)* *Conclusionem faciat cum δοξολογίᾳ v. 24.* Sed cum *Heideggero & diligentissimo Martini*, (quò encomiô Eum *Fechtius* non semel mactat,) *tribus partibus* istam absolvi posse arbitror, ita ut *Exordium v. 1. 2. Tractatio s. Argumentum v. 3. 23. Epilogus v. 24. 25.* comprehendatur. Quò pacto verò pensum quoddam unicuique Vestrum tribui possit, ex sequenti tabellâ cognoscere licebit.

Pa-



- Pastor Buchholzensis d. 5. Maji *Epigraphen Epistola & v.1. Judas Jesu Christi Servus, frater vero Jacobi, explicabit, & integram in sinu Epistolam prima vice praeleget.*
- Pastor Schmensis d. 12. Maji v.1. (*iis, qui in Deo Patre sanctificati & Jesu Christo servati, vocatis*) enodabit.
- Pastor Cranzahlensis d. 9. Junii v. 2.
- Pastor Bärnsteinensis d. 16. Junii v. 3.
- Pastor Wiesenthalensis d. 30. Junii v. 4.
- Diac. Wisenthal. d. 7. Julii v. 5.
- Pastor Joh. Georgiopol. d. 14. Julii v. 6.
- Diac. Joh. Georgiopol. d. 28. Jul. v. 7.
- Pastor Breitenbrunnensis d. 4. Aug. v. 8.
- Pastor Schwarzenberg. d. 11. Aug. v. 9.
- Pastor Beyerfeld. d. 18. Aug. v. 10.
- Dnn.** Pastor Bärnsbaccens. d. 25. Aug. v. 11.
- Pastor Grünstädelens. d. 1. Sept. v. 12. 13.
- Pastor Raschaviensis d. 8. Sept. v. 14. *Prophetavit verbis his etiam septimus ab Adam Enoch dicens.*
- Pastor Marckersbac. d. 15. Sept. v. 15. 16. *Ecce veniet &c.*
- Pastor Scheibenbergens. d. 22. Sept. v. 16.
- Pastor Crotendorff. d. 6. Octob. v. 17.
- Pastor Neudorff. d. 13. Octob. v. 18. 19.
- Pastor Schlettaviens. d. 20. Octob. v. 20.
- Pastor Grünhaynens. d. 27. Octob. v. 21.
- Pastor Elterlinens. d. 3. Nov. v. 22.
- Pastor Substit. Geieranus d. 10. Nov. v. 23.
- Diac. Geieran. d. 17. Nov. v. 24.
- Pastor Tannenberg. d. 24. Nov. v. 25. *totam Epistolam iterum praeleget, & finem eidem imponet cum Deo!*

Hic ordo textuum à Vobis servandus explicandusque est. Nolui autem Specialiorem Dispositionem exhibere, cum ea facile ex Commentariò quòdam vel privatà meditatione possit hauriri, nec ignota sit illa Διατύπωσις hujus Epistolæ ab Antecessore Colendissimò Ann. 1692. suggesta, & jam quoque repetenda. Hujus autem Viri de Vobis Vestrisque Ecclesiis præclare meriti memoria ut jam nunc instauretur & sanctè colatur, Ejus Epistolam, quâ *Threnos Jeremie* Vobis commendavit annis abhinc sex, accipite, & boni consulite. Valete in Domino rectissime, & Christum resuscitatum præconiò Evangelii vitæq; novitate mecum celebrate, imò precibus & lacrymis quævis mala ab oris his, depellite! Dabam è Museo d. XVI. April. Ann. M DCC. Gra-

GRATIAM,
PACEM ET LUCEM

à Patre Luminum in Christo!

*Plurimum Reverendi, Clarissimi, Humanis-
 simi & Doctissimi Domini, Fratres in Christo
 honoratissimi,*



Emporū n̄ presentium tristissima fa-
 cies, quam belli Turco Gallici imma-
 nis ferocia, tot provinciarum ante-
 hac populosissimarum in Germania
 horribilis vastitas, Urbium, Arcium,
 Castellorum, Vicorum & pagorum
 olim florentissimorum ruinae, Tem-
 plorum & aliorum locorum sacro-
 rum plusquam barbarica profanatio, annonae contumax fla-
 gellatio, Dardanariorum inexpleta avaritia, indequē ex-
 orta fames & tabes hominum, monetariae rei per Germani-
 am exitialis confusio, aliaequē divinitus immissae plagae,
 Patriae nostrae charissimae inducunt; imprimis infelix orbi-
 tas nostra, quam nuper luctuosissimo nobis obitu Serenis-
 simi ac Potentissimi ELECTORIS SAXONIAE, JOHAN-
 NIS GEORGII IV. Patris Patriae OPT. MAX. Domini
 nostri Clementissimi, incurrimus miseri, non diu anxium
 aut ambiguum me reliquerunt, quid argumenti loco in
 Concionibus Circularibus quas vocant proponendi eligerēs,
 Sed tot ærumnis & calamitatibus publicis ingemiscenti mi-
 hi in manus velut tradiderunt THRENOS, quos olim Je-
 remias in luctu & planctu publico, Spiritus S. inspiratio-
 ne, conscripsit, Ecclesiaeque non Judaicae solum, sed omni-
 um temporum futurae, adeoque nostrae Christianae pariter
 reliquit. Nec dubium videtur, hos Threnos à tempore
 Jeremiae inter Judæos solenniter esse frequentatos, & à La-

D

men-

778
mentatricibus, qui in populo Israëlitico ad funera & alios lugubres casus, venales habebant lachrymas, Jer. 9. 17. ad Iesum fuisse adhibitos. Prout Judæi moderni, ex instituto Rabbiorum, Threnis hisce utuntur in Synagogis eodie quotannis, quo templum succensum est & Hierosolyma corruit. Talem autem mœrendi lugendiquè ad Principum & Regum sepulchra morem fuisse in populo DEI, clarè patet è 2. Paral. XXXVII, 25. ubi & Jeremiæ, obitum Josiæ lamentantis, disertam mentio extat. Nunc itaque dum in lachrymas justissimas solvitur patria nostra, ob amissum Principem charissimum, & illud Jeremiæ Thren. V, 15. ingeminat: Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster. Cecidit corona capitis nostri: vae nobis, quia peccavimus! Propterea mœstum factum est cor nostrum, ideò contenebrati sunt oculi nostri; nemo sanè mirabitur, nos tristem læto pro carmine Iesum, pro júbilo planctum, pro gaudio luctum, pro alio Textu THRENOS elegisse. De quibus ut nunc Indicii loco pauca præmittamus, non ingratum futurum arbitror, nec alienum à more & instituto nostro.

Nomen videlicet, ut in Codice Ebræo Bibl. non infrequens est, ab initiali voce תְּנִינָה Ebræi sumunt, Rabbini autem in Commentariis תְּנִינָה appellare consueverunt. LXX Ἰθνήνας reddunt, unde Latina THRENORUM seu Lamentationum nomenclatura. At cum in S. Scriptura hic libellus non habeat parem, qui eodem tristitiæ affectu ad concitandum mœrorem & luctum cor humanum penetret, cum quo collata omnia apud profanos tragica & lugubria ludus & umbra habenda, non immeritò Paschasius apud Corn à Lap. censet, Threnum Threnorum vocari posse, veluti Canticum Canticorum vocitetur ab argumenti incomparabili amœnitate & lætitia. De Auctore principali nemo

nemo Christianorum dubitat. Nam idem ille Spiritus, qui locutus est per Prophetas, & reliqua Jeremiae vaticinia inspiravit, hos quoque THRENOS dictitavit, & ut in fasciculum Musicum redigerentur effecit, quemadmodum alias vaticinia nonnulla in Cantilenarum morem concipi & posteris tradi jussit Deut. XXXI, 19. De Autore ministeriali non est, cur hic moneamus quicquam, cum vel nomen perscriptum testetur JEREMIAM esse, Prophetam afflictissimum, & mille modis in functione sua, ab inimicis pariter & amicis excruciatum. Et locus supra citatus manifestò monstrat, cum in exequiis Regis Josiae Threnos quosdam scripsisse. Verùm non sola mors, ut quidam opinati sunt, Regis hujus pientissimi materiam hujus scriptionis exhibuit, etsi nonnulla vestigia appareant, quæ illuc digitum quasi videantur intendere; Sed immanis illa clades & excidium populi, templi totiusquè Reip. Judaicæ, quod exercitus Chaldaeorum intulit, deleta urbe, sublato cultu publico & superstitionibus omnibus, quotquot in manus hostium pervenere, una cum Rege è fuga retracto, in miserrimam servitutem deportatis. Spectator fuit & magna pars hujus calamitatis Jeremias, quam libro hoc singulari complexus est, certis quasi partibus Threnodiæ distinctum, ea usus methode in S. Scriptura non inusitato, quæ Sacram Poësin sapiat, licet qui ejus rationes satis assequi & exactè demonstrare possit, hodiè nemo sit. Ad seriem enim literarum, Alphabeti Ebraicè versus seu strophas disposuit Capp. 1. 2. & 4. quem morem Græci ἀνεστύχου appellant, ut in capitibus dictis singulis literis singulæ strophæ respondeant, in tertio autem Capite singulis literis tres ab eadem litera incipientes strophæ destinatae sunt, qualis ordo tamen in ultimo capite non observatur. Talem seriem in Ps. XXXIV. & CXIX. ut & Proverb. XXXI. observare licet. Cæterum

origini

D 2

accu-



879
accurata sententiarum Connexio & artificiosa compages
vel non patet nobis, vel quærandam est in iis, quæ ab affectu
tristissimo, non ab arte manarunt. Tamen enim in iis,
quæ à Spiritu S. autore omnis ordinis proficiscuntur, nihil
confusi esse potest, nobis tamen pro debilitate intellectus
humani, qui verba tantum illa tertiatam quasi concisa, abrupta,
mœrorisquæ impetu egesta legimus, interior rerum coor-
dinatio non æquè est obvia, ut certo nexu concatenari pos-
sit. Quo pacto tamen generaliter disponi queat, infra pau-
cis ostendemus. Autoritas Canonica, præterquam quod
Scriptorem habet Θεόπνευστον & argumentum libris Canoni-
cis exactè congruum, exinde probari potest, quod in Nov.
Test. aliquoties non obscure allegatur, scilicet Ebr. X, 35.
Jac. I, 12. ex Thr. III, 26. & 1. Cor. IV, 13. ex Thr. III,
45. Cum autem LXX Titulum hunc præfixerint, qui post-
ea in Vulg. Vers. retentus est, *Et factum est, postquam in ca-
ptivitate redactus est Israhel & Jerusalem deserta est, sedit Je-
remias Propheta flens & planxit lamentatione hac in Jerusalem
& amaro animo suspirans & ejulans dixit*, quem titulum Gre-
tserus Tom. I. Defens. Bellarm. L. I. c. 14. pro canonico vendit
ac defendit, desertus propterea & refutatus à socio Cornel.
à Lapide, quia in fontibus ejus nec vola nec vestigium ap-
paret, pro Canonico non recipimus, & meritò à Luthero
omissus est. De cætero hunc esse librum illum, quem Rex
Jojakim cultello concisum combussit, postea autem Jeremi-
as multis auctiorem Barucho amanuensi suo dictitatum de-
nuò, quod tradiderunt nonnulli, verosimile non est, nec
congruit cum iis, quæ de libro combusto JER. XXXVI. di-
cta sunt, id quod uberius prosequi nostri instituti non est.
Incerta æquè sunt, quæ de fovea Jeremiæ à meridie Urbis
Hierosolymæ, nec procul ab Hakeldama sita, in quâ sedens
Propheta Urbem à Chaldæis vastatam intuens hos threnos
magno

magno cum planctu composuisse perhibetur, quo in lo-
 co Imperatrix Helena sacellum exstruisse fertur, quod teste
 Adrichomio hodiernum illuc iter facientibus demonstrari
 soleat, quæ nos autoribus suis relinquimus, quoniam hæc
 nec urbi in ruinas & cineres versæ, nec statui Jeremiæ post
 excidium captivo & in Ægyptum migranti satis conveni-
 unt. De tempore conscripti hujus epicedii utilior quæ-
 stio est. Sunt enim, qui Prophetico Spiritu, ex prævisa
 calamitate, instar vaticinii editum esse arbitrantur, statim
 à morte Regis Josiæ, cujus occasione primò Jeremias ad
 threnos scribendos se accinxerit. Quæ sententia nec
 probabilitate nec exemplis caret, & assertores habet non
 contemnendos, cum & Moses loco supra citato & David
 Ps. CXXXVIII. prædixerint certis hymnis, quæ longo tem-
 pore post erant futuræ, populi calamitates. Neque tamen
 propterea altera sententia repudiari potest, quæ probabi-
 lius sentit, Jeremiam vel durante obsidione intra Urbem
 composuisse, adeoque non suas solùm, sed totius populi
 arumnas deplorasse, vel post demigrationem in Ægy-
 ptum, ut tantæ iræ & plagæ memoriam refricaret, suis-
 què conterraneis ante oculos poneret, & ad posteros pro-
 pagaret. Scopus itaque Spiritus Sancti & Propheteæ fu-
 it, parentare Hierosolymæ devastatæ & quasi mortuæ,
 cujus funus & exequias celebrat, ponitque epitaphium
 & exemplum omni hominum posteritati intuendum,
 ut metum Divini Numinis incutiat, securos ad poeni-
 tentiam seriam revocet, ad orationem inflammet, quin
 & servitute exilioque pressis spem suggerat, patientiam eo-
 rum sustineat, & solatium ex DEI iterum miserentis in-
 finita clementia iis ostendat, adeoque contra desperatio-
 nem eos muniat.

D 3

THRE

489
THRENI itaq; non seruiunt tantum, quod iudicium
est Corn. à Lap. non planè improbandū, propriæ cuiusq; me-
ditationi, qua se quisque ad compunctionem, compassio-
nem & orationem excitat, sed consequenter vel maximè
seruiunt concioni, ut concionator horū meditatione com-
motus, & compunctus, dolore & amore accensus, iisdem
populum & peccatores ad threnos, luctum & lachrymas
concitet, sanè ad hoc nulla aptior vox, nulla potentior sen-
tentia, nulla efficacior oratio, quam Threnorum. Est me-
moranda *ἀσκησις* privata Gregorii Nazianzeni, qui Orat. 12.
de se scribit: Equidem, ut de me loquar, quoties hunc li-
bellum in manus sumo, Threnosq; lectito, (id autem facio,
quoties secundarum rerum insolentiam coërcere hujus-
modi lectione studeo) vocem mihi intercludi sentio, la-
chrymisque obruor, eamque calamitatem velut ob oculos
positam videre videor, ac Jeremiæ collamentor.

Satis itaque opinor causæ est, cur in tam misero re-
rum nostrarum statu nunc threnorum meditationem aliis
commendemus. Ea tamen lege, ut si DEUS propitius pa-
triæ nostræ misertus iterum fuerit, integrum nobis sit, tan-
tis per se, onere, & cum alio latiori argumento permutare.
Ut autem de Dispositione hujus libri non nihil addamus, B.
Calevio, (summo Theologo,) Walthero aliisque adstipu-
lemur, qui ita dispertiuntur, ut constet I. Lamentatione,
II. Oratione. Illam Propheta absolvit prioribus quatuor
capitibus, hanc complexus est quinto. In primo deplorat
devastationem Hierosolymæ, in secundo desolationem to-
tius provinciæ, idque sub schemate viduæ lugentis. In
tertio induit personam viri afflictissimi, & in genere cala-
mitates publicas exaggerat. Sequenti aut quarto capite
speciatim Sanctuarii vastitatem, famem horrendam, Urbis
expugnationem, Regis captivitatem. Tandem ultimo
capi-

capite orationem subnectit, qua populi miseriam proponit & restitutionem in patriam petit. Inspergit subinde spei & solatii argumenta & revocat mœstos ad considerationem benignissimæ DEI Voluntatis. Quare nec integram quis à nobis in præsentem expectet Libri dispositionem, sed proposito scopo generali integrum cuiuslibet relinquimus, pro donis sibi divinitus concessis, pensum assignatum cum studio tractare & ad statum præsentem prudenter accommodare. Pro hujus anni autem labore primum duntaxat Caput, quod secundum numerum literarum Alphabeti Ebraici, XXII versiculis constat, selegimus, & cuiuslibet pensum suum in sequenti distributione distinximus. Operam itaque dabunt, ut textum diligenter, perspicuè & breviter exponant, sensum ex ipsis Prophetæ verbis eruentes, non aliorum tantum meditationes sectantes, deinde doctrinam aliquam primariam eliciant, idoneis argumentis confirmant, & ad calamitates nostræ ævi cum cura applicent, ut omnia ad Ecclesiæ ædificationem colliment. Si qui tamen aliquos orthodoxorum Theologorum, quorum in THRENOS practici labores extant, scire cupiant, inter cæteros referendi Lucas Backmeister, Joh. Bugenhagen, Hartm. Creidius, Joh. Himmelius, Ægid. Hunnius, Petrus Kirchbach, Sebald Krugius, Georg. Rostius, Nicol. Selneccerus, &c. Quod superioribus annis de brevitate, pridiano adventu, significatione præsentis, evitacione ambagum inutilium, ac prompta muneris hujus susceptione (ne quis putet temerè facultatem declinandi laboris fore) monita sunt, ea brevitas causa huc repetita volumus. Ut autem Pl. Rev. Domini Fratres spatium habeant hæc studiosè perlegendi & pensa sua excerpenti, non per cursorum mittendas has literas putavi, sed malui eas per manus quasi ordine tradi, ut

ut quilibet succedenti vicino mittat, donec ad me tandem
salvæ redeant. Ad extremum calidis DEUM clementissi-
mum precibus imploramus: Convertere JEHOVA, usq;
quo? & placare super servos tuos. Satura nos mane mi-
sericordia tua, & exultabimus & lætabimur omnibus diebus
nostris. Exhilara nos secundum dies, quibus afflixisti nos,
secundum annos, quibus vidimus malum. Conspiciatur
in servis tuis opus tuum & gloria tua super filios eorum.
Et sit decor Domini DEI nostri super nos, & opus manu-
um dirige super nos, opus, inquam, manuum nostrarum
dirige!

Vest. Pl. Rev. Dignit.

ad preces & officia paratissimus

M. Christianus Lehmannus,

à Thermis Sophianis prope Annæ-
bergam d. 11. Maji An. 1694.

m
si-
sq;
mi-
ous
os,
tur
ne.
nu-
una
sv
pod
und
ten
ten
pin
cal
el
tho
fici
luc
Hin
gus
per
tion
pro
fau
IS,
anæ-
q;
re

ULB Halle 3
004 965 892






et. 1790.

GEORGE
Past.

LIB
CUM
ET

ECL
Intimat

EPI

In TH

TZII, L.
ont.

US
OBI
IPTIS
IDE

ICA.

arium

DÆ

MIÆ

Vg
5692

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SALE)

